Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

proximi sensibus interioribus et exterioribus doc
tore in esse testimonio sancte conversationis
ostenditur. Leones in tabulatis cretis et in
angulis sculpuntur, cum viciis et peccatis
tam in se quam in aliis austeritate conti
nentie et correctionis sancti doctores ob
luctantur. Palme sculpuntur, cum signa
victorie perfectionis perseverantia a
sanctis doctoribus ut a quibusque fide …
libus referuntur. Quasi in similitudine
hominis stantis. Hominis stantis
similitudo est dilectionis plenitudo,
iniquitatis contradictio, et gratie
perfectionis consummatio. Ut non celata
sed apposita per circuitum videntur. Que
sculpuntur simulantur, que apponuntur
rei veritate confirmantur. Non ergo celata
sed apposita videntur, que homini non aliun
de, sed in semetipso per dei gratiam ut dilecti
onis operatione, ut iniquitatis repugna
tione, ut perfectionis consummatione con
feruntur. In hunc modum .x. bases formantur,
quia tota veteris testamenti scriptura ad hoc
homini datur, ut per eam vere scientie perfec
tionem et eternam salutem assequatur. Fusura
una et mensura sculpturaque consimilis
.x. basium esse perhibetur, quia per spiritum sancti magisterium
una est fusura littere, eadem mensura mo
ralitatis, similis sculptura allegorie, ut
una fusura fidei, eadem mensura spei, si
milis sculptura dilectionis in omnibus
veteris testamenti libris. SEQUITUR.

Fecitque .x. luteres ereos; quadraginta
batos capiebat luter unus, eratque
quatuor cubitorum; singulosque luteres
per singulas, id est .x. bases posuit. Et consti
tuit decem bases, v. ad dextram partem
templi et quinque ad sinistram. Mare autem
posuit ad dextram partem templi contra
orientem ad meridiem.

Per decem luteres ereos predicatoris gentium
apostoli Pauli decem epistole ecclesiis genera
liter directe, quia relique quatuor dis
cipulis sunt specialiter porrecte, figurantur,
que pre eminentia scientie et perfecte doctrine
pre omni scriptura novi testamenti hic computantur.
Decem ergo luteres erei formantur, quo in templo
hostie expientur, quia epistole .x. Pauli per mundi
latitudinem predicantur, quibus et doctorum et
auditorum fidelium corda in ecclesie templo
emundentur. Quadraginta batos unus
luter capit, quia et quatuor evangeliorum perfectio
nem et decalogi doctrinam unaqueque .x. epistolarum
Pauli comprehendit. Quadraginta batos luter
unus capit, dum et septiformem spiritum sancti gratiam
et perfectionem fidei, spei et caritatis unaqueque
earundem epistolarum ostendit. Quatuor cubito
rum luter habet, quia prudentiam, iusticiam, forti
tudinem, temperantiam unaqueque Pauli epistola
docet. Singuli luteres per singulas .x. bases po
nuntur, quia novum testamentum veteri testamen
to ad confirmationem veritatis superponitur.
Et constituit .x. bases, quinque ad dextram
partem templi et quinque ad sinistram.
Per dextram partem templi ecclesia de genti
bus figuratur, per sinistram synagoga designatur.
Decem ergo bases atrinsecus ponuntur, quia quinque
libri moysi iudeis specialiter dantur, reliqui
in psalmis, prophetis et in agiographis vo
cationi gentium familiariter famulantur.
Mare autem posuit ad dextram partem tem
pli contra orientem ad meridiem. Mare ad
dextram partem templi ponitur, quia ple
nitudo doctrine, que de veteri ac novo tes
tamento progreditur, ecclesie de gentibus committitur.
Contra orientem ponitur, quia christi sacramen
tis, qui verus oriens dicitur, tota veteris ac
novi testamenti scriptura obsequitur. Ad me
ridiem ponitur, quia per passionem christi, qui
in meridie crucifigitur, scriptura veteris